

**F**Verunt in Græcia sapientes habiti, qui dicerent: Nimias amicitias fugiendas. Rationem afferentes, quod innumeris & inuitabilibus nostris laboribus ac curis oneratos, stultum sit alienis inuolui, & vnius humeris multorum fasce prægruari, satis sub proprio fatigatos. Fundamentum beatæ vitæ ac securitatem hoc velut ariete conuelli, si externa pro amicis sollicitudo animum impellat, & ut ait Cicero, tanquam parturiant vnus pro pluribus. Itaque commodissimum censent, quàm latissimas habenas habere amicitia, quas vel adducas cum velis vel remittas: Hoc eorum consilium est. Quod non idè quia vel solers vel sapiens esset inserui, sed quia calliditatis speciem præfert, & illustres habet auctores: Et scio quod à multis atq; à me ipso propter nimias curas rerum variarum sæpè laudatum est, apud Ciceronem tamen reprobatum: Nec immeritò. Tollit enim omnem benè institutæ mentis affectum, quo sublato, ut ait idem, quid interest: Non dico inter hominem & pecudem, sed inter hominem & truncam, aut saxum, aut